

cuiusquam quàm alii causæ adscribendum judicarem; ut in ea sententia confirmarem, epistomium M subito relaxavimus, ac subito quoque orbiculum delapsum, aquamque inter utrumque fundum CD & HM detentam non sine crepitu subsecutam spectavimus.

Phæn.XV.

IX. Priusquam verò ad interioris hydriæ *abcd* Phænomena progrediamur, adnotabimus adhuc aliqua circa orbiculos in fitula simplice & hydria exteriori instituta quoad mensuram aut firmitatem adhæfionis ad libram exactæ. Cùm enim in casibus Phænomenorum superiorum suspicari promptum esset, orbiculum majorem firmiùs hæere minore, & utrumque tam pertinaciter ita ut ponderis aliquid ex opposito trahens valeret sustentare; constituimus rei facere periculum & pertinaciam illam ad suas mensuras revocare. Suspensis itaque successivè orbiculis, ope chordæ per ipsorum centra ita transmissæ ut infera planities inde nihil pateretur incommodi, ex altero brachio bilancis minutioris, & experimentis more solito institutis, major equidem illorum in fitulæ lignæ fundo sub aquis hærens, sustinebat contrapon-

Phæn.XVI.

dium in lance brachii opposita septem ad summum semunciarum vulgò *Loth* dictarum, donec à fundi complexu divelleretur; minor autem non nisi 3. semunciis ac præterea 1. drachmæ sustentandis par erat: In hydria cuprea verò uterque vix dimidias exercebat vires, partim ob aquæ incumbentis altitudinem minorem (quod facile erat judicare) partim verò etiam ex aliqua non dissimulanda fundi cuprei inæqualitate non ante ita sollicitè observata quàm præsentis negotii successum ex accuratiore planitie maximam partem pendere didicissemus. Obtulit autem se porrò nobis nihil

Phæn.XVII

tale cogitantibus novum Phænomenon, ut, cùm positum in fundo fitulæ lignæ orbiculum majorem, elapsâ jam aquâ omni, educere mediante filo levi conatu tentarem, etiamnum resistantiam sentiremus notabilem, cujus adeò valorem determinatiùs investigaturi in lancem oppositam ocyùs aliquot